





1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.



20

Vol: a N

Q. D. B. V.

EXERCITIVM PHILOSOPHICVM  
 DE QVAESTIONE:  
**AN DEVS SECVNDVM**  
**RATIONEM DOMINVS,**  
 ET LEX NATVRAE LEX PRO-  
 PRIE ET STRICTE DICTA SIT?

1733 3.

P. 27

QVOD  
 SVB DIVINI NVMINIS AVSPICIIS,

PRAESIDE

**IO. CHRISTIANO BVRGMANN,**

Theol. & Philos. Doctore, huiusque P. P. O.,  
 & ad aedem SPIR. S. Pastore.

IN ACADEMIA VARNO-BALTHICA  
 Horis Locoque Consuetis,

D. III. Iunii A. MDCCXXXIII,  
 publice disceptabit,

AVTOR

**GEORGIUS HENR. A LEHSTEN,**  
 Nobilis Megapolitanus.

R O S T O C H I I,

Typis IO. IAC. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD.  
 Typographi.



EXERCITIVM PHILOSOPHICVM  
DE QVAESTIONE  
AN DEVS SECVNDVM  
RATIONALIVM DOCTRINAM  
ET LEX NATVRAE LEX PRO-  
PRIA ET SECTVS DOCTRINAE  
SVP DIVINI RVMINIS AVSPICIS  
PRAESIDIUM  
IO. CHRISTIANO BAROMANNI  
PHILOSOPHO DOCTORI P. R. O.  
IN ACADEMIA THEOLOGICA  
AVTOR  
GEORGIVS HEINR. A. LEBSTEN  
HABITVS M. P. S. P. O. S. S.  
KÖNIGSBERG



PRÆSIDIS ANTELOQUIUM.



Brulit hanc mihi disquisitionem tribus ab-  
hinc mensibus, et quod excurrit, gente  
menteque generosus, GEORGIUS HEN-  
RICUS a LEHSTEN, iuuenis nondum  
tredecim annos natus, proprio Marte a  
se conscriptam, meque Præsidae ventilan-  
dam. Quod ne mirum aut incredibile  
cupiam videatur, ignorare beneuolum le-  
ctorem nolo, adolescentem hunc ex peruerusto Per-Illustrum at-  
que Generosissimorum DOMINORVM A LEHSTEN prognatum  
stemmate, cum ingenii bonitate, tum scientiæ amplitudine inter  
millenos alios eiusdem, imo maioris, ætatis iuuenes eminere. Non  
expedite enim solum Latino idiomate de quibusuis rebus differit,  
Græcum Noui Foederis Textum Grammaticè resoluit atque felici-  
ter interpretatur, orationes aliasque exercitationes rhetoricas prom-  
te conscribit & coram aliis recitat, sed & plerasque philosophici  
Systematis disciplinas mente complectitur, earum nexum atque co-  
haerentiam vniuersam exponere, singularum doctrinarum rationes  
adlegare, nec minus de sententiis oppositis & dissentaneis e vesti-  
gio nouit existimare. Non incerta narro, quæ vagus mihi nun-  
ciauerit rumor, sed testis ipse sum dictorum tam auritus quam ocu-  
latus, nec alia aut plura, (omisi potius quaedam, quæ comme-  
morari adhuc potuissent) quam quæ comperta habeo, refero.  
Laudantur ab eruditis integris libellis ingenia præcocia, quorum  
A tamen

tamen laus plerumque in memoria tenaci & diligentia singulari consistit. Hic vero Iuuenis non solum, quae traduntur, celeriter percipit, & fideliter retinet; sed etiam ingenio focundo viuiddique, iudicioque perspicaci & praesenti, quod aetatem longe praecurrit, Summi beneficio NVMINIS excellit. Neque in industria sua requiri quidquam patitur, praesertim cum eam sapienter prouocet & alat, qui studia eius per aliquot iam annos Summa cum dexterritate laudeque moderatur, Clarissimus atque Doctissimus DN. VVACHENHVSEN, Philos. & Theol. Cultor praestantissimus, Auditor olim meus & Amicus iucundissimus. Tantaec gloriae adolescentem in tenebris consensescere non decebat, sed ut ipse maiori discendi cupitate accenderetur, aliisque & admirationi & incitamento esset, in apricum producere par erat. Argumentum, in quo vires ingenii periclitaretur, ipse sibi elegit & electam elaborauit, elaboratumque mihi exhibuit. Quod si non omnia satis excussa, variaque admixta esse trita, quis dixerit, longe tamen cultiora haec esse, quam quae ab adolescente in communi hominum sorte expectari poterant, nemo dissimulare poterit. Multa quoque, ni fallor, solidioris doctrinae vestigia in hoc exercitio conspiciuntur, quae praecceptis, quibus imbutus est, habituique, quo pollet, omnia, quae adprehendit, iusto tempore reuocandi, optimeque adplicandi; non meae debentur emendationi. Reliqui enim, ut de suis auctor rectius existimare aliquando possit, disquisitionem, prout ab ipso consignata, mihi que tradita est. Pauca in formalibus, seu connectendi & ratiocinandi modo: in materialibus, (si a nonnullis discessero, quae a scopo nimium abesse visa reseculi) nil propemodum immutauit. Nullus etiam dubito, Generosum hunc iuuenem eadem, quam saepe iam Fautoribus & Amicis priuatim comprobauit, hinc animi praesentia, hinc dicendi promptitudine, exercitium hocce Academicum publice defensorum esse. DEVS vero T. O. M. instrumentum hoc gloriae suae subinde confirmet, augeat, & exornet, quo in publicae rei salutem, & illustris LEHSTENIANAE gentis ornamentum, maxime vero Generosissimorum PARENTVM oblectamentum, succrescat, efflorescat & ad summa quaeuis enitatur!

CON-

# CONSPECTVS

## EXERCITII PHILOSOPHICI DE QVAESTIONE: AN DEVS SECVNDVM RATIONEM DO- MINVS, ET LEX NATVRAE LEX PRO- PRIE ET STRICTE DICTA SIT?

- Introitus argumenti dignita-  
tem exponit & institutum  
lectoris aequitati verecunde  
commendat.*
- §. I. *Ab idearum explicatione  
seu definitionibus ordien-  
dum esse, docet.*
- §. II. *Quid DEVS sit, expo-  
nit.*
- §. III. *Quid Dominus sit, de-  
clarat.*
- §. IV. *Quid leges naturales  
significent, ostendit.*
- §. V. *Quid lex proprie & stri-  
cte dicta sit, explicat.*
- §. VI. *Isam questionem pro-  
ponit, eiusque decisionem  
ex ratione promittit, quae*
- in duas velut Sectiones di-  
stribuitur.*
- §. VII. *Prius membrum adgre-  
ditur, & DEVM Secundum  
rationem esse Dominum, ad-  
firmat.*
- §. VIII. *Obiectiones recenset,  
& perlustrat, quae a dis-  
sentientibus formari solent.*
- §. IX. *Ad posterius membrum  
progredditur, & leges natu-  
rales leges proprie strictaeque  
dictas esse, adserit & con-  
firmat.*
- §. X. *Quae adversus hanc thesin  
urgentur, recitat & diluit.*
- §. XI. *Conclusionem huic dis-  
quisitioni imponit.*

**I**n omni saniori philosophia, tanquam praecipuum merito dogma commendatur, quod DEO dominium in omnes homines vere competat, isque leges stricte et proprie dictas per naturam seu rationem tulerit. Hac enim sublata veritate, omnis tollitur moralitas, quippe quae legem supponit, et respectum ad eandem dicit. Nec minus frustra data homini moralis est natura, si nulla veri nominis lex existit. Illa enim vulgo definitur per complexum facultatum, per quas homo aliquid operari potest, quod legi vel conuenit, vel disconuenit. Moralis autem natura si homini eriperetur, quantum non decederet discrimini inter hominem et bruta. Ad potissima namque, quae hominem rationalem distinguunt a brutis, referenda moralis est natura. Et quid nobis prodesset ratio, nisi ea tamquam instrumento primario felicitatem tam temporalem, quam aeternam consequendi aut saltem quaerendi vti possemus. Id autem fieri non posse, si lex nobis proprie dicta non esset praescripta, cui nostras actiones conformemus, quis non videt? Quare non male pronunciaffe, censeo, quisquis dixerit, ab hac doctrina coelum et orbem pendere. Dignum igitur putavi hoc argumentum, in quo ingenii, quod, quam exiguum sit, sentio, periclitarer vires. Imparem esse me huic tractationi exacte absoluendae, fateor lubentissime. Nondum etenim praestare suscipio, quod filius ille apud TERENTIVM, Patrem suum a se postulasse, dicit: *qui cupiunt, nos a pueris illico nasci senes, neque illarum affines esse rerum, quas*



ET LEX NAT. LEX SIT PROPRIE ET STRICTE DICTA? §

quas fert *adolescētia*. Neque enim corporis iudicii-  
que vires, quae huic disquisitioni ceteroquin impen-  
dendae essent, mihi suppetunt; neque animus dul-  
cedine rerum inanium captus id permittit, cum, vi-  
deam licet meliora, probemque, deteriora saepe ta-  
men sequar. Quoniam vero satius credo in medi-  
tationibus grauibus, quam inutilibus studium collo-  
care, vitio mihi nemo vertere poterit, quod DO-  
MINI PARENTIS mei, qui me hoc exercitio aca-  
demico ad meliora maioraque posthac, si DEVS an-  
nuerit, tentanda voluit excitare, iussui obtemperatu-  
rus, has quaestiones mihi ventilandas sumserim,  
praesertim quia neminem hac scriptione vel erudi-  
re vel profiteri, quod vtrumque longe supra me po-  
situm esse constitui. Aestimant, etiam atque etiam  
peto, hoc esse, quotquot has pagellas legunt et per-  
lustrant: non autem deductionis soliditatem, aut va-  
riarum eruditionis copiam (quae a me vix ac ne vix  
quidem expectari potest) in iisdem quaerant.

Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas.

§. I.

Cum omnis veritatis determinatio ab idea-  
rum explicatione, et definitionibus pen-  
deat, priusquam ad rem ipsam adcedam, ex-  
ponendum erit, quid DEVS, quid DOMI-  
NVS, quid lex naturalis, quid lex, ex quibus  
vocibus haec disquisitio componitur, sibi ve-  
lint?

A 3

Obser-



*Obseru. I.*

Non male, si quid iudico, praecipiunt, qui veritatem esse dicunt, conuenientiam idearum inter se, seu rectam earum ad se inuicem relationem. Manifestum enim est, in omni veritate recurri ad ideas, ex quibus ea tamquam materia sua velut componitur. Quando scilicet cum alio de quaestione quadam dubia differimus, non ad res ipsas, quae saepe longius remotae sunt, sed ad ideas, quas de iis mente nobis praecipimus, respicimus, et prout has inter se comparatas sibi vel respondere, vel repugnare animaduertimus, iudicium formamus, eas vel componendo vel diuidendo. Loquor autem de veritate mentali, quae potissima est; non de verbali, quam proxime ex terminis constare, largior. Quodsi vero et hanc considerem, vt vulgo explicatur, non leue sententiae mae robur adiungi, deprehendo. Omnes scilicet consentiunt, veritatem verbalem, seu quae propositionibus inest, ex habitudine subiecti ad praedicatum aestimandam esse. Ex quo consequitur, veritatem enunciationum consistere in habitudinis subiecti et praedicati cognitione seu quod idem est, conuenientia et recta relatione. Pone iam loco subiecti et praedicati, in veritate mentali, seu quae in mente datur, ideas subiecti et praedicati (quod fieri haud aegre potest et debet, quia mentalis veritas in verbali supponitur, et non potest statui subiectum et praedicatum, cuius idea menti antea non infuerit), quis non intelligit, veritatem praecipuam seu mentalem in idearum conuenientia seu  
recta

ET LEX NAT. LEX SIT PROPRIE ET STRICTE DICTA? 7

recta relatione ad se inuicem esse collocandam. Quae cum ita sint, prima eius, qui cognoscendae veritatis cupiditate ducitur, in eo versari debet cura, vt ideas rerum idoneas et sufficientes sibi comparet. Numquam enim cognosci veritas potest, nisi cognitae prius ideis, ex quibus velut ex partibus ea constat; siquidem totum cognosci nequit, nisi cognitae fuerint ante partes. Et quomodo ideae recte coniungi et seiungi, seu ad se inuicem referri possunt (in quo formalis ratio veritatis consistit) si obscurae nobis, nec quantum opus est, perspectae fuerint? Quare etiam in examinanda quaestione quadam initium ducendum est ab idearum, quibus quaestio proposita continetur, explicatione. Andabatarum enim more pugnant, oleumque, quod aiunt, operamque consumunt, qui quoddam argumentum disceptant, ideis non euolutis. Indicandum scilicet est, quas singulis quisque vocibus subiiciat ideas, partim vt ab aequiuocatione vocabula liberentur, partim vt id, quod iisdem significatur, clare exprimat, certoque determinetur, atque sic, quod in disceptationem venit, plane intelligatur.

*Obseru. II.*

Explicatio idearum fit per definitiones. Hae enim ostendunt, quae et quot ideae simpliciores in vnica plerumque voce (cui idea composita respondet) comprehendantur, easdemque ordinate recensent, vel a nomine, vel ab attributis & circumstantiis secundariis, vel a causis siue internis siue externis

nis deriuatas, vt cuilibet vno intuitu rem illam, quae definiiri solet, conspiciere liceat. Ex quo adparet, eiusdem necessitatis esse definitionem, cuius est idearum explicatio, quandoquidem definitio medium est, per quod ideae explanantur, siue id ipsum, in quo illa fit idearum explicatio. Quemadmodum vero idearum explicatio, prout obseruat. I. probaui, necessaria est, & tractationi reliquae praemittenda; ita nemo non iam intelligit, id ad definitionem applicandum etiam esse. Cum enim in definitione ideae explicatio contineatur, ab illa merito exordium ducendum esse, quis potest infitari? Dudum id monuit praestantissimus ille Romanorum et Philosophus et Orator CICERO *Officiorum Libr. I. Cap. II: omnis, in-  
quiens, quae a ratione suscipitur de aliqua re instructio,  
debet a definitionibus proficisci, vt intelligatur, quid sit  
id, de quo disputetur.* Neque semper tamen necessum est, vt definitiones, vt adpellari solent, perfectae tradantur, omnesque rei causae tam internae quam externae, nec non attributa & circumstantiae enumerentur. Praeterquam enim quod cognitionis nostrae angustia impediatur haud raro, quo minus illud fieri queat, sufficit, vt in tantum ideae explicentur, in quantum argumenti, quod illustrare debent, exigit ratio. Vnde nec a me, dum in eo sum, vt ideas huius disquisitionis praecipuas per definitiones explanem, postulari poterit, vt definitiones nequam perfectas, quod et superuacaneum hoc loco reor, et meas quoque vires excedere, non diffiteor. Officio meo satis fecisse mihi videor, dummodo eiusmodi praemisero definitiones, quae ad sensum quae-

ET LEX NAT. LEX SIT PROPRIE ET STRICTE DICTA? 9

quaestionum propositarum declarandum et veritatem peruestigandam confirmandamque comparatae sint, etiamsi alio tempore et loco aliae aut pleniores dari possint et debeant.

§. II.

**D**EVUS est Substantia actiua, intellectu, libera voluntate & omnipotentia praedita, quae mundum, omniaque, quae in eo sunt, produxit, & sua prouidentia administrat.

*Obseru. I.*

Temeritatis forte suspicionem incurro, quando DEVM definire suscipio. Aristotelici namque iis, quae definiri nequeunt, vt sunt species *μνοαδιρησι*, entia per accidens, aequiuoca & communia ab uno ad vnum, termini per se clari, aliaque, ad censent etiam DEVM. Cuius adfertionis fundamentum non vnum habent. Ens infinitum enim seu DEVM praedicamentis excludunt, ex quo relinquitur, quod porro vrgent, nec eius genus (quia iuxta illorum praecepta genus ex praedicamentis repetendum est, neque terminus datur, qui de ente infinito & finitis entibus vniuoce praedicari queat) haberi posse, quod ad definitionem tamen requiritur. Vterius definitionem tantum generum & specierum esse, contendunt. DEVM autem nec genus nec speciem esse. Alii DEI infinitatem

B

nitatem



nitatem obtare putant, quo minus definiri queat DEVS. Cum hac enim definitionem aperte pugnare. Per definitionem scilicet limites, sibi persuadent, poni definito. DEVM autem infinitum circumscribere velle, manifestam esse contradictionem. Quantum ad priores, omne de vocabulo litigium existere mihi videtur. De definitionibus etenim perfectis, rigorosis & adcuratis loquuntur Aristotelici, cum alii tamen opinentur, veri nominis censendam esse definitionem, quidquid rei essentiam quomodo-cunque, seu quoad satis est, declarat. Vbicunque igitur rei declaratur essentia, vera datur definitio, licet altera sit altera perfectior. Quid vero obstat, quo minus rerum, quae notae sunt nobis, & quoad eas exploratas habemus, explicari queat essentia? hoc est, eiusmodi possint adlegari attributa, quae rei sufficienter perspicue repraesentandae & ab omnibus aliis, maxime cognatis distinguendae? Quod quoniam de DEO, qui per noticiam naturalem, tam infinitam, quam adquisitionem, nobis manifestatus est, abnuui nequit, adfirmare non dubito, DEVM hoc sensu definiri posse. Quantum ad posteriores, infinitas quidem DEI obstat, quo minus adaequata DEI definitio possit suppeditari, quae integram essentiam Diuinam exhauriat. Eiusmodi vero definitio cum de multis aliis rebus, etiam finitis, ne quidem formari possit, quas tamen propterea definiri posse, nemo infitatur, quis DEVM plane non definiri posse, eam ob causam adfirmaverit, quia adaequate nequit definiri? Inanis quoque metus est, ne per definitionem DEO limites figantur. Definitio enim limites ponit non definito (quod lon-

ge

ge plura, quam quae in definitione exprimuntur, complecti posse, negari non potest) sed intellectui, vt, dum de re quadem cogitat, per definitionem intra certos cancellos (seu ideas, quas sibi de definito formare debet) contineatur. Hi si mutantur, aut iusto quam par est, vel proferantur, vel coarctentur, non definitum amplius, sed aliud quid ab eo longe diuersum sibi concipit intellectus, aut perperam saltem id sibi repraesentat. Vitio itaque verti mihi non posse, reor, quod DEI dederim definitionem. Nemini quidem eam obrudo, nec pro perfecta & rigorosa definitione eam reputari, cupio, quamquam instituto meo eam sufficere, persuasum habeam; Sed argumento tamen, quod disquirendum sumsi, illustrando inservire credo illam. Quapropter paucis eam interpretari, & confirmare non inutile duco.

*Observ. II.*

DEVM substantiam actiuam dixi, hoc est, eam, quae intrinseca pollet agendi vi. Quo pacto distinguitur is ab omni materia. Ea namque non agit, sed agitur. Operationes quidem illius verbis communiter actius exponuntur. Re ipsa vero nil sunt, nisi merae passionis. Non se ad agendum libere determinat materia, sed ab extrinsecis causis, vinculo quodam necessario inter se connexis, vniuniformiter determinatur. DEVS vero (vt & omnes spiritus suo modo) vim, per quam agit, in semet ipso habet, & per eam ita se determinat, vt ab alio extra se determinari nec opus habeat, nec possit. Hinc agendi vim



vim & facultatem (quae ipsa eius est essentia) non in se tantum, vt ceteri Spiritus finiti, sed etiam a se habet, quandoquidem a nullo alio dependet. DEVM autem esse substantiam talem actiuam, probo, quia DEVS est ens omnium primum, caussaque omnium reliquorum entium. Ens vero primum non potest non independens esse. Quodsi enim ab alio dependeret, non esset primum omnium. Ens omnium primum non potest ab alio agi, ceteroquin foret dependens. Agendi ergo vim in se habere debet DEVS. Eandem vero etiam habet a seipso DEVS, quia non solum ens est omnium primum, sed & caussa reliquorum. Dum ergo haec produxit, habuit vim agendi in se, antequam aliud quid exstiterit. Habere igitur eam non potuit ab alio vel se priori, vel a se diuerso. Nil igitur superest, quam vt DEVM agendi vim a se habuisse, dicamus, adeoque substantiam actiuam perfectissimo sensu esse. Idem a posteriori constat, quia tam varios produxit effectus. Ea enim, quae necessario agunt, seu aguntur, non nisi vniformiter operantur.

### Obseru. III.

Adserui DEO intellectum & voluntatem liberam. Vtrumque sine omni capiendum est imperfectione. Intellectus diuinus per scientiam omnia cognoscit, & per sapientiam cuncta disponit. Hunc DEO vere competere, palam est. Nam intellectio est perfectio simpliciter talis, nullamque in formali sua ratione coniunctam habet imperfectionem. Perfectio autem simpli-



simpliciter talis, ab ente perfectissimo, quod est DEVS, nequit abesse. Arguunt id ipsum effectus seu admirabilis sapiensque dispositio & structura, quae in mundo eiusque partibus observatur, vna cum intelligentibus, quae dantur in vniuerso, creaturis. Effectus autem testatur de sua causa. Voluntas Diuina bonum adpetit & malum auersatur, quaeque fieri debeant vel non debeant, decernit. Non potest haec deesse supremo Numini, quia perfectio est simpliciter talis, & cohaeret cum intellectu diuino, quem modo adstruxi, nexu indiuiso. Is enim sine voluntate otiosus & inutilis foret. Nec vnumquam aliquid existere coepisset, nisi DEVS voluntate, per quam id decreuisset, instructus esset. Intellectus etenim Diuinus, vt haec producta sint, proxime non effecit, (alioquin enim omnia, quae a DEO cognoscuntur, actu producta essent) sed adcedere debuit voluntas, quae, vt fierent ista, decreuit. DEO autem non volente, aut inuito, qui existere aliquid, vellet statuere, manifestis se implicaret absurditatibus. Aut enim casum purum admittere deberet, aut ens DEO superius & potentius. Vtrumque absonum est. Liberam autem esse hanc voluntatem, dixi, vt possit velle & non velle, quia necessitas est summae imperfectionis nota. Nec habet in DEO locum necessitas vel extrinseca vel intrinseca. Extrinseca supponit & superiorem & potentiolem. Quis vero DEO superior est & potentior? Intrinseca non nisi in entibus passiuus apprehenditur, quae aguntur: DEVS autem ens est actiuum, & in se & a se, prout *Obseru. II.* euictum dedii. Nec obstat, DEVM ens necessarium vulgo appellari.



lari. Id namque ratione existentiae, non respectu voluntatis atque operationum inde profluentium intelligendum est. Verum quidem est, quod DEVS non nisi sancta & iusta operetur. Sed nec alia vult operari, quia non nisi essentiae suae perfectae conuenienter vult operari. Qui vero operatur, quae vult, liber esse non desinit, licet eadem ratione generatim spectata semper operetur. Ex quibus in summam collectis elucescit, quam misere philosophentur, athei, & Pantheistae seu Spinozistae, qui non alium DEVM, quam materiam aut mundum adgnosunt, aut DEVM in ens coecum, brutum & necessarium transmutant. Nam DEVM statuunt, qui nec intelligere, nec velle, nec libere se determinare potest. Eiusmodi autem DEVS quid aliud est, quam non DEVS, seu contradictio in adiecto? Quodsi opponant, intelligentia, quae dantur in mundo, entia ostendere, mundum non esse brutum ens, sed intelligens, causam adlegare debent, a qua intellectus in mundo profectus sit. Ad materiam prouocare nequeunt, quoniam haec sua natura passiuua est, nec intellectiois aut cogitationis capax. Inuiti itaquo causam admittere debent, a mundo diuersam, a qua entia produeta sint intelligentia.

#### *Obseru. IV.*

Omnipotentiam, quam DEO vindicauit, multis adstruere non est opus. Nemo enim, qui DEVM profitetur, eam, saltem quoad ea hoc loco spectatur, abnegat. Numquam DEVS ens primum, numquam causa

& LEX NAT. LEX SIT PROPRIE & STRICTE DICTA? 15

caussa rerum omnium, nunquam ens perfectissimum esse posset, nisi foret omnipotens. Qui enim omnipotens non est, limitatur vel per intrinsecam imbecillitatem & imperfectionem (hoc est, naturae suae finitatem) vel per extrinsecam superioritatem aut violentiam. Vtrumque in nobis manifesto deprehendimus. DEO vero intrinseca nequit adscribi imbecillitas, quia ea cum infinitate & perfectione Divina consistere nequit. Nec etiam datur imperfectio intrinseca, nisi quae a causa proficiscatur extrinseca. Sua sponte ergo haec corrui, quando extrinsecam limitationem in DEO locum non inuenire, probatur. Vnde autem haec deriuari possit, nescio, vtrum a superiori, an a potentiore? Superior statui nequit, quia DEVS ens est omnium primum, a quo reliqua omnia dependent. Neque Potentior potest adlegari, quia diuina potentia cuncta producta sunt, DEIque potentiae nihil non subiacer.

*Obseru. V.*

Omnia, quae in mundo sunt, a DEO producta esse, contra atheos potissimum defendo atque Spinozistas, qui mundum, quaeque in eodem existunt, vel necessario existere, vel casu coaluisse, venditant. Sed quam incondita haec sit opinio, facile demonstrari potest. 1. Mundus et materia sunt ens contingens, quod rationem existentiae in se non continet, & idcirco necessarium ens, a quo originem trahant, supponit. Ens autem hoc necessarium non aliud esse potest, quam DEVS, quia nil aliud datur extra mun-



mundum. 2. Materia & mundus sunt ens passivum, quod ipsum agere nequit, nisi agatur ab alio. Admitti ergo debet Ens, a quo materia mundusque dependeat. Quoniam autem non datur caussarum in infinitum progressus, siue rectilineus siue circularis, sed subsistendum est in ente primo, seu causa prima, sicut in numeris, ens primum vel supremum Numen admittendum est, quod quia omnipotens est, omnia producere potest, & quia causa prima est, praeter quam non alia datur, mundum cum materia produxit actu. Producta autem omnia esse a DEO vel immediate in creatione, vel mediate per ordinem naturae, non fortuitum, sed a DEO vere constitutum, hoc loco monere non attinet.

### *Obseru. VI.*

Tandem adfirmari, providentia Diuina, mundum, et quae in ea sunt, administrari. Vbi notandum est, vno providentiae nomine tres vulgo actus comprehendi, Conseruationem, concursum et gubernationem. Conseruatio est actus providentiae Diuinae, quo DEVS creaturas in sua natura et naturalibus proprietatibus ac viribus in creatione acceptis conseruat, quousque vult. Concursus est actus providentiae, quo DEVS cum omnibus caussis secundis, in earum actiones et operationes influendo, sed modo cuiuslibet conuenienti, concurrat. Distinctum totum est mundi systema; huius ecclesia atque fideles. Sed quoniam philosophia non alium ferme, quam

& LEX NAT. LEX SIT PROPRIE & STRICTE DICTA? 17

quam generalem nouit, nec specialem explicare concursum potest, hoc loco distinctionem illam dimittimus. Gubernatio denique est actus prouidentiae, quo DEVS creaturas in viribus, actionibus et passionibus suis decenter ordinat. Exequitur hanc supremum Numen quadruplici ratione: permissione, impeditio, directione et gubernatione. Est autem Permissio actus gubernationis, quo DEVS creaturas rationales, ad peccandum sese inclinantes, per media, quibus creatura finita resistere nequit, a malo lege vetito non retrahit, sed iustis de causis in peccata ruere finit. Impeditio est actus gubernationis, quo DEVS actionem creaturarum pro arbitrio suo ita constringit, ne effectum dent, quem alias efficerent. Directio est actus gubernationis, quo DEVS creaturarum actiones ita moderatur, vt in obiectum ferantur ab infinito agente intentum, et finem ab eodem praestitutum. Determinatio est actus gubernationis, quo DEVS creaturarum viribus, actionibus et passionibus certos terminos, intra quos se contineant, constituit. Omnibus his prouidentiae actibus mundo rebusque, quae in eo sunt, quoniam iis indigent, consulere DEVS vt potest tamquam ens sapientissimum et potentissimum; ita etiam vult, tamquam ens benignissimum. Et nisi prouidentia Diuina mundus administraretur, omnia et corruerent, & tumultuarie confusae gererentur.

§. III.

**D**ominus est superior, cui ius in alterum competit, viresque suppetunt illud exercendi.

C

Obser-

*Obferuatio.*

Superior quis varia ratione potest adpellari, vt  
 v.c. aetate, honore & dignitate, praestantia & per-  
 fectionibus, viribus & rel. Sufficit, quod omnis su-  
 perior praefertentia quadam gaudeat, quo etiam re-  
 spectu Dominum esse superiorem, generice dixi. Vt  
 autem superior quidam praecise Dominus sit, duo ad  
 eum requiruntur, ius atque potentia. Ius quidem  
 superiori competere debet, vt iustas adlegare possit  
 causas, propter quas dominium in alios velit exer-  
 cere. Sola enim potentia non sufficit ad dominium.  
 Ceteroquin etiam latrones potentia instructi viri-  
 busque iniuste abutentes, obsequium ab aliis poscere  
 merito possent. Quare ius accedere debet, quo qui  
 destitutus est, dominus esse nequit. Praeter ius au-  
 tem potentia Dominus indiget seu viribus, quibus  
 reluctantes in casu denegati obsequii ad obedientiam  
 possit adigere. Solum quidem ius ad dominum suf-  
 ficeret, si sponte suis homines officiis satisfacerent.  
 Quoniam vero plerique legibus vltro morem gerere  
 recusant, potentia opus est, quo immorigeri ad ob-  
 sequium compelli queant. Vnde et in eo, quo nunc  
 versantur homines corrupti, statu, frustranea lex fo-  
 ret, nisi in casu inobedientiae vis refractariis oppo-  
 ni posset.

## §. IV.

**L**Eges naturales sunt iussa a DEO hominis  
 impressa naturae, eiusdem indoli conformata,  
 & in eadem promulgata.

*Obfer*

*Obferu. I.*

Legem naturalem siue leges naturales quis dicat, perinde esse potest. Semper enim complexus plurium intelligitur legum. Sunt enim leges naturales variae & diuersae tam ratione obiecti, quam obligationis. Ratione obiecti, scilicet immediati, circa quod versantur, complectuntur leges naturales officia erga DEVM, semetipsum & proximum. Ratione obligationis, qua ad officia praestanda tenemur, leges naturales ad officia tam perfectae quam imperfectae se extendunt obligationis. Officia perfectae obligationis sunt actiones morales, ad quas ita obligamur, vt in statu naturali armis, in statu vero ciuili iudicis autoritate ad eas compelli possimus. Officia autem imperfectae obligationis sunt illa, ad quae mera aequitate obligamur. Hic nobis leges naturales in sensu generaliori sumuntur, & officia erga DEVM, semet ipsum atque proximum tam perfectae quam imperfectae obligationis sub se comprehendunt. Non ignoro, Philosophos magni nominis esse, qui Ius Naturae pro solis legibus de officiis erga alios, imo iis tantum, quae perfectae sunt obligationis, accipiunt. Quoniam autem ad reliqua officia non minus quam haec obligamur, eademque per aequae ex natura nobis innotescunt, cur legum naturalium nomine & numero haec simul comprehendere nequeant, non video.

*Obferu. II.*

Leges naturales iussa adpellantur, hominis a DEO  
C 2 impres-

impressa naturae, non alio sensu, quam quo Aposto-  
 lus PAVLVS ad Rom. II. v. 14. 15. legem cordibus in-  
 scriptam esse, docet. Quod, ne secus quam par est,  
 capiatur, tenendum est, non adferi, quod ideae, ex  
 quibus principia legis naturalis componuntur, aut  
 ipsae propositiones, quae legem naturalem absoluunt,  
 quoad ideas & nexum actu in mente nostra sint  
 consignatae. Eiusmodi enim ideae & propositiones  
 in actu nobis connatae a nemine intra se deprehen-  
 duntur, merumque sunt figmentum inane. Inscriptae  
 autem hae leges dicuntur propter habitum nobis  
 congenitum, quo ad ideas & propositiones de legi-  
 bus naturalibus nobis promte formandas & concipi-  
 endas, vt & ad adsensum his veritatibus haud aegre  
 praebendum determinamur. A DEO vero hanc im-  
 pressionem factam esse, ex eo adparet, quia DEVS  
 est autor naturae, cui leges istae sunt impressae. Ne-  
 que alius praeter DEVM in omnes homines domini-  
 um exercet, legesque iis sancire valet.

### *Obseru. III.*

Leges naturales sunt iussa porro, indoli huma-  
 nae conformata, seu cum natura humana quam ar-  
 ctissime cohaerent. Tam apte enim lex naturae ho-  
 mini eiusque finibus & necessitatibus respondet, vt  
 homo, leui naturae suae consideratione, voluntatem  
 DEL, rationibus Sapientissimis innixam, inuestigare,  
 & simulac praeceptum aliquod occurrit, id animad-  
 uertere, eiusque ad naturam relationem percipere  
 queat. Non immerito itaque hoc etiam respectu  
 natura-



& LEX NAT. LEX SIT PROPRIE & STRICTE DICTA? 21

naturales vocantur hae leges, propter connexionem  
puto, cum natura humana. Atque hinc quoque con-  
sequitur, quod omnes fatentur, Ius Naturae esse ab-  
solute immutabile, ita vt nec illud abrogari, nec ei-  
dem derogari, nec ab eo quisquam dispensari possit.  
Possunt alias leges mutari a DEO & hominibus. Ho-  
mines vero legem naturae mutare nequeunt, quia  
non constituerunt eandem. Qui legem vero non  
sanxit, tollere aut mutare eam nequit. DEVS autem  
Ius Naturae nec mutauit vnquam, nec mutabit. Nam  
cum natura humana tam arte cohaeret, vt DEVS  
aliam prius naturam debeat producere, quam Ius Na-  
turae mutare possit. Constat idem ex legum indole,  
quae §. 8. sequi pluribus explicabitur. Ad quamlibet  
enim legem requiritur, 1. vt fit possibilis, seu vires  
subditorum non excedat. Neque hoc legi deest na-  
turali. Quid in ea namque praestandum nobis in-  
iungitur, quod supra vires nostras positum fit? 2. vt  
fit utilis. Vsu vero Ius Naturae non destitui, planif-  
simum est. Utile enim est hominibus, non huic qui-  
dem vel illi in specie, vt illius cupiditatibus seruiat,  
sed in genere omnibus, quorum vero emolumento est  
accommodatum. Non ex vnus hominis commodo  
(quatenus id aliorum opponitur vtilitati) deriuari  
quidem leges naturales debent. Obligauit autem nos  
DEVS vt Dominus ad eas merito, vt illarum observa-  
tione commune promoueat emolumentum.

*Obseru. IV.*

Promulgata etiam haec lex est per naturam ho-  
minis, seu DEVS homini legem naturalem per natu-  
ram

ram tam clare publicavit, quam lex, quae vel viva voce vel scripto publicatur, publicari vniquam potest. Factum id est per facultatem cognoscendi naturalem seu intellectum, qui hoc loco naturae nomine venit. Non consistit vero haec promulgatio per intellectum in mera seu nuda potentia cognoscendi legem. Haud quidem ista homo destituitur, ea vero non absoluit promulgationem legis naturalis. Multae veritates a nobis inuestigari possunt, quae tamen a DEO propterea nobis promulgatae per naturam esse dici nequeunt. Promulgatio itaque haec non facultatem solum in homine supponit legem cognoscendi, sed praeterea quoque habitualement facultatem & promptitudinem perfectam legem intelligendi complectitur. Dum enim homo DEVM, se, aliosque adgnosceret facile potest, horumque obiectorum naturam tam ferorsim scrutatur, quam ad se refert, facile non solum capit, quid agendum vel omittendum sit, sed naturali quoque necessitate ad legem naturalem intelligendam & admittendam compellitur. Male vero hanc promulgationem interpretantur, qui ea nil aliud innui, contendunt, quam quod tempus recordari nequeamus, quando primo legum naturalium notitiam adceperimus. Ita enim Ius naturae non vere & re ipsa, sed imaginarie tantum Ius naturae esset. Vera ratio, ob quam cognitionem legum naturalium a DEO nobis impressarum naturalis promulgatio vocatur, non est alia, quam quod per illam finis ille, qui alias per externam promulgationem intenditur, plene obtinetur. Promulgare enim legem nil aliud significat, quam efficere, vt lex in omnium notitiam deue-

deueniat. Cum vero lex naturae per naturam tam perspicue nobis pateat, & a nobis cognosci queat, vt nemo ignorantiam eius obtendere queat, haud immerito lex naturae naturaliter promulgata nobis esse statuitur, & adseritur.

*Obseru. V.*

Obiter legis naturalis obseruasse necessitatem iurabit. Praeditus est homo non natura solum physica, sed & morali. Vna quidem est hominis in se natura seu essentia, per quam physice & moraliter agere potest. Diuersus tamen est illius respectus, alius physicus, alius moralis. Oritur hinc distinctio inter naturam physicam & moralem. Physica dicitur omne id, quo homo aliquid actu operatur, non habita relatione ad normam moralem, num eidem respondeat vel non. Moralis vero natura est complexus omnium facultatum, per quas & quatenus homo aliquid operatur, quod ad normam refertur, eique vel conuenit, vel disconuenit. Atque haec natura moralis vt lege carere numquam potuit, quia alias instar coeci homini semper oberrandum fuisset; ita lege maxime indiget homo, postquam intime corruptus, ad omnis generis mala propendet, impetuque quodam in ea fertur. Haec, nisi lege constringeretur, homo subinde consecraturus esset, nec ab iis retrahi aut auelli se pateretur. Quapropter optime homini summum prospexit Numen, legem naturae illius inscribendo.

*S. V.*

**L**ex est iussum superioris seu Domini, quo is sibi



fibi subiectos adaliquid vel agendum vel omit-  
tendum, sub poenae comminatione, a tem-  
pore promulgationis obligat.

### *Obferu. I.*

Lex in genere dicitur iussum, quatenus superi-  
or (qui hic idem nobis significat, quod alias Domi-  
nus) in ea aliquid vult aut non vult, idque vt actu fiat  
aut non fiat, praecipit. Substituit insignis quidam  
Philosophus loco vocabuli iussi voluntatis nomen,  
cum tamen ratio, quare voluntatis vox vocabulo ius-  
si praeferenda sit, nondum adpareat. Nam 1. volun-  
tas est genus remotum. Exerit ea se per intentio-  
nem, decretum aliasque operationes speciales. In  
definitionibus vero poni debet non genus remotum,  
sed proximum. 2. Nomen voluntatis est aequiuocum,  
& mox sumitur pro ipsa volendi facultate, mox pro  
rei ipsa, quam quis vult aut non vult. Atque hinc  
etiam ratio adparet, quare vocem iussi vocabulo de-  
creti praetulerim.

### *Obferu. II.*

Causa legis efficiens est superior seu Dominus.  
Quemadmodum vero ad Dominum duo requiri §. III.  
monui, ita id in legis quoque definitione non negli-  
gendum est. Non posset eam praescribere & obsequi-  
um flagitare ab aliis, nisi ius haberet. Frustra vero  
hoc ius apud plerosque vrgeretur, nisi potentia suo  
iuri pondus addere posset.

*Obfer.*

*Obferu. III.*

Subiectum legis sunt subditi, quia Dominus quis dicitur in respectu ad subditos, & sine iis Dominus esse aut dici nequit. Ad subiectum vero, quod lege obligari debet, tria pertinent 1. dependentia a superiore iusta, quae ex iis intelligitur, quae de Domino sunt annotata. Quoniam enim Dominus & subditi relata sunt, necesse est, vt subditi a Domino iuste dependeant, quia Dominus esse quis nequit sine iure. 2. Cognitio legis, seu vt subditus facultate legem cognoscendi polleat. Quid enim prodesset legem illis ferre, qui eam intelligere nequeunt? Ignorantia quidem iuris seu legis, vt vulgo & recte dicitur, non excusat. Sed loquitur ista regula de ignorantia vincibili. Ignorantiam enim inuincibilem hic locum non habere, supponitur, quia non aliud subiectum legis statuitur, quam quod legem cognoscere potest. 3. Libertas, seu vt subditus legi obsequi possit. Inutilis enim lex foret, in qua quaedam continerentur, quae ei, cui iniungitur, obseruare & exequi nequiret. Quamobrem lex quoque ad illa tantum referri debet, quae homo libere agere vel omittere potest.

*Obferu. IV.*

Obiectum legis, circa quod illa versatur, sunt vel agenda, vel omittenda, seu actiones. Quoniam enim leges sunt vel adfirmatiuae, quae de agendis praecipunt; vel negatiuae, quae circa agenda disponunt; actiones latius dictae, sive tam agenda, quam omittenda sunt

D

sunt

sunt legis obiectum. Generatim ad legem duo requiruntur 1. vt sit possibilis seu vt subditorum vires non excedat. Impossibilium nulla datur obligatio. Quid iuuat legem ferre, quae nequit obseruari? 2. vt sit vtilis, aut superiori aut subditis. Maxime quidem lex publicam respicit salutem, ad quam promouendam legislator, qui eam sancit, comparatus est; sui tamen commodi rationem, in legibus quoque habere potest Superior, dummodo id non ultra, quam par est, extendat, suamque vtilitatem ex publicae rei pernicie repetat. Neque tamen opus est, vt legislator vsum finemque, quem lege intendit, conceptis verbis exprimat, siquidem ab ipso vt Reipublicae Patre nil aliud expectari potest, & debet, quam quod re ipsa salutare sit & proficuum.

### *Obseru. V.*

Obligatio, in qua formalis ratio legis consistit, est necessitas moralis, qua ad aliquid agendum vel o-mittendum adstringimur. Necessitatem dico moralem, vt a physica eam distinguam. Physica vi & co-actiōe absoluitur; Moralis suadendo & repraesentando tantum impellit. Hoc loco moralis intelligitur necessitas, non Physica. Non absolute enim ad legem adstringimur, aut violenter ad obsequium adigimur. Huius autem necessitatis moralis duae velut sunt partes: iussio & poenae comminatio, de quibus separatim dicendum est.

*Obser-*

*Obferu. VI.*

Iuffio feu constitutio eft, qua aliquid vel praecipitur vel interdicitur. Eft haec legis pars primaria & essentialis, quia reftringit alterius libertatem, vt, id, quod antea omittere poterat, nunc non poffit non agere. *Er soll, er muß es thun.* Vocatur etiam pars definitiua, quia definit ea, quae legislator vult aut non vult. Poenae comminatio, quae alias sanctio poenalis vocatur, tranfgrefforibus poenas ftatuit. Perinet ea non ad legis essentialiam, fed falua legis constitutione, tamquam parte essentiali, potest adesse & abesse. Poena enim non absolute ftatuitur, fed sub denegati obsequii casu. Quemadmodum igitur hoc abesse potest; ita & illud. Falsus est HOBBSIVS, qui legem disiunctiuam esse dicit. Legislator enim, dum legem fert, non intendit poenam, fed obsequium. Non immerito vero sanctio poenalis, tamquam pars integralis, legi adiicitur, quoniam ad eius integritatem spectat. In tanta enim hominum corrupti-one vim nullam haberet lex, quae impune violari poffet. Vnde tritum illud: lex sine executione est quasi compana sine pistillo.

*Obferu. VII.*

Principium legis, ex quo illa cognoscitur, est promulgatio, quae & alio respectu legis adiunctum vocari potest. Circa promulgationem vero legis tria potiffimum notanda veniunt. 1. Materia legis feu vt de sensu praeceptorum aut prohibitorum constet,  
D 2 omnes-

omnesque id planissime cognoscere possint. Quapropter stilo & caractere perspicuo concepta, & idioma subditis non ignoto conscripta esse debet. 2. Adtendendum est ad legislatorem, ex cuius consideratione adparet, vtrum lex me obliget, nec ne? Quae enim a legislatore profecta est lex, qui meus non est Dominus & superior, eam nec obseruare teneor. 3. Respicendum ad obligationem ipsam, seu discendum est, quoad aliquid legislator velit aut nolit. In Politicis & Ecclesiasticis haec obligatio per externum, imo & solemnem fieri solet actum. Generatim autem sufficit ad promulgationem, vt legem ad omnium deferat notitiam. Vbicunque id fit, ibi promulgatio sufficiens datur. Sicut enim de methodo, qua hoc vel illud argumentum deducendum est, disputari non debet; ita etiam de promulgationis modo mediisque non est altercandum. Dummodo finis, quae per media intenditur, obtineatur, modus (nisi illegitimus sit) indifferens est & cuiusuis arbitrio relinqui potest.

## §. VI.

**A**bsoluta sic idearum explicatione per definitiones, ad quaestionem ipsam accedendum nunc est, quae vt bimembris est; ita secundum vtrumque membrum separatim excutienda est. Non ex reuelatione vero, sed ratione: non ex Scripturae Sacrae, sed Naturae lumine cuncta expediunt.

*Obseru.*



*Obseru. I.*

Bimembris est quaestio, prout inspectio quemque docet. Aliud enim est quaerere: virum DEVS sit Dominus? Aliud: vtrum Leges naturales, quas Supremum dedit Numen, leges sint proprie & stricte dictae? Quamuis ambae enim quaestiones inter se cohaereant, & posterior ex priori fluat, altera tamen ab altera re ipsa distincta est. Quapropter vtrumque sigillatim explicare necessum duco. Non ignoro quidem; posteriorem quaestionem a Celeberrimo Kiloniensium Philosopho, DN. FRIDERICO GENTZENIO sub Praefidio B. PALTHENII data opera peculiari commentatione disceptatam esse. Sed hanc videre mihi non licuit. Non dubito quoque, viros alios doctos integrum hoc argumentum pridem, vt meretur, executos esse. Sed eos euoluere mihi nec datum, nec constitutum fuit. Liceat mihi propriis indulgere cogitationibus, quae, si non omne ferant punctum, instituto tamen meo Satisfacere poterunt.

*Obseru. II.*

Vtraque quaestio tam a Theologo, quam Philosopho potest examinari. Non minus enim interest Theologi ex Scriptura Sacra docere, DEVM esse Dominum & leges naturales proprie strictaque dictas leges esse, quam Philosophi ex ratione idem comprobare. Quoniam vero meum non est Theologorum Sacra inuolare, & falcem, quod aiunt, in alienam immittere



mittere messem, non alias expectabit a me beneuolus lector rationes, quam quas lumen naturae suppeditat, & sigillatim Theologia Naturalis, cuius est hanc DEO gloriam vindicare, quod & Dominus sit, & leges proprie dictas ferre possit.

## §. VII.

**P**Riori loco disquirendum est: Vtrum DEVS secundum rationem sit Dominus?

*Obseruatio.*

Omnibus sepositis ambagibus, adfirmare quaestionem non dubito, DEVMque secundum rationem Dominum esse, pronuncio. Rationes vero adfertionis duas potissimum habeo, i. quoniam DEO ius competit & vires suppetunt. Ad Dominum, prout ex §. III. constat, duo requiruntur, primo vt iustas dominii causas possit adlegare: secundo, vt cum iure vires coniunctas habeat, quibus homines sibi subiectos dictis audientes reddere queat. Neutrum DEO deficit. Quis ergo poterit abnegare, DEVM secundum rationem Dominum esse? Initio quidem DEO competit ius, quoniam omnes ab eo dependent homines. Dependent vero ab ipso partim per creationem, per quam esse suum ab eo adceperunt; partim per conseruationem, per quam, vt & reliquos prouidentiae actus, habent, vt in esse suo perseuerent, atque operari possint. Deinceps quoque DEVS potentia, qua ius suum exequi possit, instructus est. Omnipotens enim est, quod §. II.

*Obseru.*

*Obferu. IV.* luculenter adstructum est. 2. Quoniam hic dantur subditi, nimirum omnes homines. Dominus & subditus relata sunt. Vbi ergo Dominus non existit, subiecti ipsi dari nequeunt. Vicissim, vbi subditi non dantur, nec Dominus esse potest. Regula enim peruulgata est: relata sunt simul, & posito relatorum vno, ponitur alterum: sublato vero relatorum vno, tollitur alterum. DEVS igitur Dominus non esset, nisi haberet sibi subiectos. Cum autem homines per creationem & conseruationem DEO subiectos esse, negari nequeat, DEVM etiam secundum rationem Dominum esse, dissimulari nequit.

§. IIX.

NON desunt equidem, qui DEVM secundum rationem Patrem potius, quam Dominum censendum esse, opinantur, Sed horum argumenta non omni, quod reor, exceptione sunt maiora.

*Obseruatio.*

Varii generis argumentis, quo DEO suum abluccient dominium, vtuntur dissentientes, quorum praeceptua recitabo, & pro ingenio modulo examinabo.

*Obiiciunt I.* DEVM non esse Tyrannum, adeoque nec Dominum esse.

*Resp. I.* Non sequitur, eum non esse Dominum, qui non est Tyrannus. Non omnes Reges & Principes

eipes sunt Tyranni. Num vero Domini propterea desinunt esse?

Resp. 2. Distingendum est inter vocis tyranni acceptionem priscam & hodiernam. Olim hoc nomen Dominum significabat, & qui Dominus erat, Tyrannus quoque erat. Hodie vero tyranni appellatione designatur imperans iniquus, iniustus & crudelis. Quo sensu nec omnes Domini Tyranni sunt, quia non omnes sunt iniqui & iniusti; nec DEVS vocari tyrannus potest, qui Dominus tamen nihilominus est.

*Obiiciunt II.* Papistica thesina hanc redolere principia.

Resp. 1. Ignorare me, fateor, quo iure ad Papistica principia haec veritas reiici queat, nec prius id mihi persuaderi patiar, quam dilucide probetur: cum reliquiae Papatus in omnium ferme sint ore, qui instituta quaevis bona & recepta sugillant. Papistas, DEVM esse Dominum, arbitrari, non negauro. Hanc vero ipsorum sententiam ad Papismum, seu errores, quibus Papatus inquinatus est, pertinere, demonstrandum est.

Resp. 2. Quodsi vero Pontificii sui quid fermenti huic veritati aliqua ex parte admisceant, id ipsis relinquamus, nec propterea ipsam reiiciamus veritatem. Abusus & mala rei applicatio genuinum conceptum & usum tollere non possunt, aut debent.

*Obiiciunt III.* Rationem DEVM non adgnosere, vt Dominum, sed vt Patrem tantum.

Resp.

Resp. Rationem DEVM adgnosere vt Patrem, concedo lubenter. Eam vero DEVM vt Patrem tantum, non vt Dominum adgnosere, quando adferitur, manifesta committitur petitio principii. DEVM enim secundum rationem Dominum esse, luculenter, ni fallor, § VII. enictum est.

*Obiiciunt IV.* Rationem DEVM nobis sistere, vt Patrem; non vero vt Dominum.

Resp. Eadem est haec obiectio cum antecedente, eodemque laborat defectu. DEVM secundum rationem Patrem esse, nemo negat. Sed quemadmodum Paternitas, vt ita loquar, nil domino detrahit (siquidem omnis Pater est Dominus; nisi in quantum a superiori causa limitatur); sic & DEVS, licet Pater sit, Dominus esse non desinit eapropter. Quis enim nescit regulam: vnius positio non est alterius exclusio.

*Obiiciunt V.* DEVM se numquam in Scriptura S. publicare vt Dominum, sed tantum vt Patrem.

Resp. Haec obiectio ad Philosophiam non spectat, adeoque nec a me refellenda est, sed Theologis committenda. Non ignotum tamen mihi est, DEVM non vna, sed millenis vicibus in Sacris litteris Dominum vocari.

*Obiiciunt VI.* Dominum propriam vtilitatem quaerere, Patrem vere liberorum suorum intendere felicitatem. Ideo DEVM magis concipiendum esse, vt Patrem, quod conuenientius ipsi sit; quam vt Dominum, quod in homines potius quadret.

E

Resp.

Resp. 1. Nemo negat, DEVM Patrem esse, quem admodum iam dixi. Exinde vero DEVM Dominum esse, nullo sequitur modo.

Resp. 2. Lubrica est differentia, quae hic inter Dominum & Patrem vrgetur, quando Patris esse dicitur, vt quaerat bonum suorum liberorum; Domini vero, vt suam intendat felicitatem. Nam a. Nemo fit Pater, vt aliorum intendat commodum, & nemo fit Dominus, vt propriam felicitatem quaerat. b. Nemo definit esse Pater, quando propriae felicitatis gratia facit aliquid, & nemo definit esse Dominus, quando in subditorum emolumentum aliquid suscipit. Imo necessarium potius Domini requisitum est, vt aliorum, hoc est subditorum, & communem promoueat salutem.

*Obiiciunt VII.* Sic incuti metum seruilem, quando DEVS vt *θεομορφος* consideratur.

Resp. Negando consequentiam, dummodo non DEVS vt despota iniustus spectetur. Nullum enim hinc seruilem metum elicere poterit, nisi qui inter seruilem & filialem metum non recte distinguere didicit. Nondum statim seruilis adest metus, quando Dominus adest, & vbi Pater apprehenditur, non semper metus filialis reperitur. Seruilis enim metus oritur partim ex conceptu Domini iniusti, partim ex hominum pertinacia, de quibus saepe valet, quod in proverbio dicitur:

Oderunt peccare mali formidine poenae.

§. IX.

§. IX.

**P**ROgredior ad membrum quaestionis posteriorius, legem naturalem legem strictae & proprie dictam esse, probaturus.

*Observatio.*

Legis vox, etsi varias admittit notiones, nil tamen aliud proprie & strictae omnium suffragio denotat, quam quod §. V. deduximus. Hoc vero sensu legem naturalem legem strictae & proprie dictam esse, vno pluribus effici potest argumentis.

1. Lex proprie dicta proficiscitur a superiori, qui ius & potentiam habet. Quis vero DEVM esse superiorem, iureque & potentia gaudere, inficiabitur? Ius per creationem sibi adquisiuit, & per conseruationem quotidianam conseruat, seu potius confirmat. Potentia vero omnipotentis Numini denegari a nemine poterit.
2. Lex proprie dicta supponit subditos. Atque hic dantur subditi, omnes scilicet homines, qui quoniam DEO vitam & innumera beneficia debent, non possunt non subiecti eidem, & ad praecepta Diuina per naturam lata obseruanda obligati esse.
3. In omni lege proprie dicta necessitas moralis deprehenditur, qua ad aliquid vel agendum vel omittendum adstringimur. Duplicem hanc esse,

E 2

antea



antea dixi, aliam in parte legis definitiua, aliam in parte eiusdem vindicatiua. Vtraque legi naturali inest. Dum enim praescribit, quae in officiis ergo DEVM, semetipsum & alios vel agenda, vel omittenda sint, expresse iubet, & definit, quid DEVS velit aut nolit. Neque sanctione poenali lex naturalis destituitur. Non solum enim poenas naturales admittit, sed & arbitrarías, quod nemo, nisi qui iustitiam & omnipotentiam Diuinam abnegare voluerit, poterit diffiteri.

4. Omnis lex perspicuam postulat publicationem; Quae vero lex magis perspicue potest esse promulgata, quam lex naturalis? Ea etenim cordibus omnium hominum inscripta, & in ipsa ratione tanta euidencia manifestata est, vt cuilibet aetatis maturae sanaeque mentis homini pateat, & vel inuito ad sensum extorqueat.

§. X.

**Q**ui prioris membri thesin, quod DEVS secundum rationem Dominus sit, oppugnant, hanc quoque & praecipue adoriuntur, Legem naturalem proprie strictaque dictam legem esse, negantes. Infirmis autem eos niti ratiociniis, reor.

*Obfer-*



*Obseruatio.*

Qui dissentiunt hac in parte, sensu quidem improprio & latiori legem naturalem legem adpellari posse, non inficiantur. Eadem vero acceptione, qua lex positua lex vocatur, legem illam dici posse negant, hoc est, legem eam proprie & stricte dictam esse abnuunt, ad monita & consilia paterna eam reiciunt. Quæ pro firmanda hac opinione proferrunt argumenta, succincte persequar.

*Obiic. I.* DEVM incomprehensibilem esse. Nullum ergo prædicatum humanum proprie de DEO dici posse.

*Resp. 1.* Perperam explicant aut adplicant incomprehensibilitatem dissentientes, quando eam obstatere putant, quo minus aliquod de DEO prædicatum humanum proprie adfirmari possit. Quodsi enim absolute ea caperetur, nihil plane de DEO prædicari posset, isque nec existere, nec operari, nec sapiens, nec iustus esse dici posset, quia hæc omnia sunt prædicata humana.

*Resp. 2.* Incomprehensibilitas non omnem de DEO cognitionem negat, sed adaequatam tantum, quæ Diuinam exhauriat essentiam. Cognosci ergo DEVS, aliqua ex parte, salua incomprehensibilitate, potest, & in quantum cognosci potest, prædicata etiam humana proprie de eodem dici queunt.



*Obiic. II.* DEVM esse Doctorem Juris naturae, non legislatorem.

Respond. Sensu Grammatico DEVM esse Juris Naturae Doctorem, facile conceditur, quatenus in lege naturali, quae agenda sint & omittenda, docet, quemadmodum omnis legislator legem promulgat, vt subditos doceat, quid velit aut nolit. Non autem merus Juris naturae Doctor est DEVS, aut tantum docet, sed simul obligat, & per superioritatem hoc praecipit, illud interdicat. Id a doctore nudo fieri nequit.

*Obiic. III.* Legem coërcere, qui tranquillitate carent: Jus vero naturae ad tranquillitatem animum componere.

Resp. 1. Verum quidem est, quod lex coërceat, qui tranquillitate carent, quando respicitur ad partem legis vindicativam, quae legis transgressoribus poenas constituit. Sed vnice ad inquietos eam spectare, dici nequit, quia tranquillos etiam definit actiones.

Resp. 2. Jus Naturae non tantum ad tranquillos, sed etiam inquietos, qui eidem non minus quam quieti subiecti sunt, pertinet. Imo non tantum componit ad tranquillitatem, sed & coërceat.

*Obiic. IV.* Rationem ignorare legis naturalis publicationem.

Resp. Committitur petitio principii, quodsi ex eo, quod ratio ignoret legis naturalis publicationem, dissentientes inferre velint, legem naturalem

lem magis ad consilia pertinere, quam legem stricte dictam esse. Quodsi vero ita concludatur: ratio legis naturae ignorat promulgationem, ergo lex naturae publicata non est; nego consequentiam, quoniam multa dantur, quae ignoramus, quae tamen negare non possumus.

Resp. 2. Legem naturalem publicatam esse, rationem ignorare, falsum est. Vbi lex enim perspicue manifestata est, ibi promulgatio debet admitti. Quia vero DEVS hominis rationi legem inscripsit, & per rationem ea planissime intelligi potest, promulgatio a ratione nequit abnegari.

Obiic. V. Jus naturae non habere obligationem externam, quae ad legem tamen necessario requiratur.

Resp. 1. Obligatio externa & interna sibimet invicem non opponenda, sed coniungenda potius est. Obligatio enim externa sine interna supponit tyrannum seu dominum iniustum; interna vero sine externa dari plane nequit. Interna enim provenit ab argumentis rationalibus nobis suppeditis aut vltro succurrentibus (in quibus generalis lex supponitur; rationi obsequendum est). externa vero a legislatoris autoritate proxime dependet.

Resp. 2. Differentia vtriusque obligationis non aliunde provenit, quam quia homines non solum Dominis subiecti sunt, qui ab extra legem illis ferunt; sed etiam DEO, quia ab intra eos obligat,

obligat, & rationem audire iubet. Omnis etiam obligatio, etfi sit interna, externa tamen etiam est, quia ab extra vltimato originem vimque habet.

Resp. 3. Patet ex hisce, legem naturalem dici posse iam legem propter obligationem internam, quae supponit externam. Reipsa vero lex naturalis tam interne quam externe obligat. Interne per dictamen rationis, quod nos sequi obligamur. Externe per DEVM, qui legem praescripsit & vult obseruari.

*Obiiciunt VI.* Poenas locum non habere in Iure Naturae, quia omnis poena a. fit humana & arbitraria b. visibiliter infligatur.

Resp. 1. Poenae non sunt pars legis essentialis, sed integralis tantum aut accidentalis. Poenis enim opus non esset, si homines omnes legi sponte obtemperarent. Nec ad malos & immorigeros tantum, sed ad bonos & morigeros etiam spectarent poenae, si ad legis pertinerent essentialiam, quoniam ad vtrosque spectant leges.

Resp. 2. Poenas omnes sua natura humanas esse; probari numquam poterit. Quid impedit, quominus poenae quoque diuinae dentur! Nonne punire DEus vult per iustitiam? nonne potest per omnipotentiam?

Resp. 3. Poenae Iuris Naturae, quae naturales dicuntur, quia cum actionibus legi naturali aduersis cohaerent, respectu DEI vere sunt arbitrariae

trariae, & ab eius voluntate dependent, quia vt eas naturaliter constituit; ita & vel irrogare vel minuere vel suspendere potest.

Resp. 4. Praeter naturales illas poenas dantur etiam aliae, quae respectu DEI non solum, sed & in se sunt arbitrariae, quales sunt omnia iudicia Diuina in hoc mundo extraordinaria aliaque, & infinitae futuri seculi poenae, quas ratio suo modo non prorsus nescit. Haec omnia quidem propter facinora praua irrogantur, non tamen illis sunt naturalia.

Resp. 5. Quando omne malum visibiliter infligitur, distinguo inter malum ipsum & mali, quod infligitur, cum delicto connexionem. Haec inuisibilis est; illius autem respectu poena visibilis esse potest, vt & in Iure Naturae saepe est.

*Obiicium VII.* Ius Naturae merum esse consilium.

Resp. Si lex naturae merum esset consilium, plane non posset obligare. Consilium in & a se non obligat, quia non a superiori, qua tali, sed ab amico, siue inferiori, siue pari siue digniori proficitur. Miser esset, si consilium obligaret, qui dissensum aut disparitatem inueniret in consiliis. Is enim ad consilia non diuersa solum, sed & opposita simul perficienda foret obligatus. Dantur quidem consilia naturae, quae in iis, de quibus lex in neutram partem disponit, locum

F

habent,

habent, & quid rectius agatur aut omittatur, ostendunt. Haec autem cum lege naturali non confundi debent, adeoque nec probant, hanc merum esse consilium.

§. XI.

**H**Aec sunt, quae commentari volui, potui. Non omnibus, credo, placebunt arbuta, humilesque myricae meae. Nec id vitio cuiquam dederò, qui non reprehendere solum didicit, sed & meliora praestare. Quid humeri valeant, quid ferre recusent, explorasse, iussumque Domini PARENTIS perfecisse mihi sufficiat. Cetera Lectoris arbitrio, favori atque aequitati sint permissa.

In magnis voluisse sat est.

**SOLI DEO GLORIA!**



Rostock, Diss., 1733-35

ULB Halle

3

007 790 481



W18 W18/2012







Vol: a. N.

O. D. B. V.

TIVM PHILOSOPHICVM  
E QVAESTIONE:  
VS SECVNDVM  
ONEM DOMINVS,  
NATVRAE LEX PRO-  
T STRICTE DICTA SIT?

1733 3.

QVOD

NI NVMINIS AVSPICIIS,

PRAESIDE

STIANO BV<sup>U</sup>RGMANN,

Philof. Doctore, huiusque P. P. O.,  
ad aedem SPIR. S. Pastore,

DEMIA VARNO-BALTHICA

Horis Locoque Consuetis,

II. Iunii A. MDCCXXXIII,

publice disceptabit,

AVTOR

S HENR. A LEHSTEN,  
Nobilis Megapolitanus.

ROSTOCHII,

ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD.  
Typographi.

KOENFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALIE

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres

Inches